

cap. II. ait: *Domine, si error est, a te ipso decepti sumus; nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt, et talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.*

VI. Impletio prophetiarum et prædictionum. Nam primo, quidquid vetus testamentum de legis illius abrogatione, de evertendo principatu et regno Judæorum, de desolatione Jerosolymitanæ urbis ac templi, de abjectione Hebræorum, de vocatione gentium et multiplicatione Christianorum eorumque sacris, de evangelii per orbem prædicatione prædixit; id totum videmus adimpletum. Deinde, quæ Christus dixit adimplenda usque ad hoc tempus, videmus etiam impleta. Prædixit excidium Jerosolymæ, videmus eversam: prædixit conversionem gentium, Joan. XII. et XVII. videmus factam: prædixit synagogæ rejectionem, perfidiam hæreticorum, evangelij prædicationem per universum orbem, sedis apostolicæ firmitatem, etc. et hæc omnia videmus impleta. Prædixit Petro martyrium crucis, Joannem non moriturum per martyrium, apostolis cæteris persecutiones, et ita evenit. Prædixit miracula a Christianis patranda, de ejectione dæmonum, etc. quod passim factum, et fit etiam nunc. Tertio, quidquid etiam apud ethnicos Sybillæ prædixerunt, id partim jam impletum est, partim ex fide nostra adhuc implendum. Veluti Cumæa, quæ prædixit virginem mundo apparituram, et novum hominem de cælo venturum, qui mores et vitam hominum reformaturus sit et in mundo auream, id est sanctissimam gentem suscitaturus; ejus tempore moritura animalia venenata, superbos humiliandos, etc. Propterea sub Antonino imperatore dæmonis instinctu, pœna capitis interdictum fuit lectione librorum Hystaspis, Sybillarum, et prophetarum, quod multi per eorum lectionem ad christianam religionem inducerentur. Justinus apolog. ad Antonin. et Arnobius contra gentes affirmat non defuisse ex gentilibus, qui aversarentur lectionem librorum M. Tullii de divinatione, et de natura deorum, et censuisse oportere statui per senatum, ut abolerentur hæc scripta, quibus christiana religio comprobetur, et vetustatis opprimatur auctoritas.

Quod si ista jam evenerunt, non dubium, quin etiam eventura sint; quæ posterioribus temporibus futura denuntiata, ut resurrectio mortuorum, judicium, etc. adeoque vera sit ea fides, quæ talibus vaticiniis confirmata.

VII. Testimonia infidelium. Imprimis Josephus Judæus, in excidio Jerosolymitano captus et Romam ductus atque ob præclaram scientiam ibi magno in honore habitus, l. XVIII. antiq. c. IX. de Christo Domino ita scribit: « Fuit his temporibus Jesus sapiens vir, si tamen virum

eum nominare fas est; erat enim mirabilium operum effector, et doctor omnium eorum, qui libenter audiunt quæ vera sunt; et multos quidem Judæorum, multos etiam ex gentibus sibi adjunxit. Christus hic erat: hunc accusatione primorum nostræ gentis virorum cum Pilatus in crucem agendum decrevisset, non deseruerunt qui ab initio eum dilexerunt; apparuit enim eis tertia die iterum vivus: secundum quod divinitus inspirati prophete, vel hæc vel alia innumera miracula futura prædixerant. Sed et in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, et nomen perseverat et genus.» Hæc Josephus. Extant etiam testimonia pro Christianis Hadriani, Hantonini, M. Aurelij imp. apud Justinum, apolog. II.

Ad hæc Judæus archisynagogus Constantinopoli ob impositum crimen sub Leone imp. acriter tortus, præ dolore Deum S. Sergij invocans, cum non audiretur, sed igni adjudicaretur, in igne defensus est a duobus equitibus candidis indutis stolis, apud Niceph. l. XV. c. XXIII. qui postea a populo extractus baptizatus et Sergius vocatus est, ib.

VIII. Clades aliarum sectarum, quæ Christianos impugnabant. Et imprimis Judæorum clades et calamitates perpetuo versantur ante totius mundi oculos. Quos velim audire Chrysostomum, orat. III. contra Judæos; ait enim: « Si Phinees unico perempto homine, totam numinis iram adversus populum placavit, et cessavit quassatio (Ps. CV). tamque multos homines eripuit ab ira divina unius hominis cædes; multo magis hæc vobis oportuit accidere, si legis transgressor erat, quem vos crucifixistis. Cur igitur quæso Phinees viro legis transgressore perempto justus habitus est et sacerdotio honoratus, vos autem cum in crucem egeritis virum impostorem, ut dicitis, non modo non inde fertis laudem et honorem, verum etiam acerbiora patimini, quam tunc cum filios vestros mactaretis? Annon istud perspicuum est etiam vehementer tardis et hebetibus, quod posteaquam adversus servatorem ac principem orbis impii egistis, talis sit de vobis sumpta vindicta? » Sic Chrysostomus.

Porro de ethnicorum cladibus scribit Tertulianus, l. ad Scapulam; Eusebius, l. II. hist. c. IV. et VII. l. VII. c. XX. l. c. VIII. et IX. Nicephorus, l. II. c. X. et XI. et nos alibi quædam recensuimus.

De hæreticorum cladibus et miserando interitu hæc summatim recenset ex probatis auctoribus Corn. a Lapid. in epi. S. Petri. « Simon Magus arte magica volans, per preces S. Petri dejectus a capitolio in præceps ruens crura fregit, ac paulo post ex dolore expiravit, teste Ar-

CONCIO VII.

RECTE ET SALUBRITER FIERI, QUOD INDULGENTIE
NUNC LIBERALIUS CONCEDANTUR.

- I. Quia per hoc succurritur temporum nostrorum iniquitati. — II. Quia sic Ecclesiæ necessitati subvenitur. — III. Quia hinc multi convertuntur. — IV. Quia hinc ad bonorum operum studium incitatur. — V. Quia per hoc succurritur inopiæ pauperum.

THEMA.

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.
Joan. XVI.

Dum paulo ante passionem suam recumberet Dominus in domo Simonis, quemadmodum scribit S. Joannes, c. XII. Maria Magdalena: *Accipit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes Jesu, imo ut Matthæus et Marcus asserunt: Effudit etiam super caput ejus, et domus impleta est ex odore unguenti.* Quod videntes aliqui discipulorum, Judas imprimis, ceperunt indigne ferre quod tam copiosum ac pretiosum unguentum ad Christi unctionem effunderetur; sed defendit, imo et laudavit Magdalenam Christus; siquidem hoc ad sepeliendum eum fecisset, utpote paulo post moriturum. Recumbit etiam nunc in domo Simeonis, id est, in domo Petri ejusque successorum Dominus, et quidem in fidelium cordibus. Et ecce mulier illa, Ecclesia venit hodie cum copioso et pretioso unguento plenariæ indulgentiæ, sive jubilæi, et ungit Jesum in membris ejus, fidelibus scilicet Christianis, idque effundit super illum: non utique sine rationabili causa, bona sane intentione, maximo etiam fructu. Inde enim fit ut impleatur Ecclesiæ domus odore bonorum operum. Sed non desunt tamen fortasse etiam catholici aliqui, qui indigne ferant, quod tam pretiosum unguentum jubilæi, tam large et tam sæpe effundatur in membra Christi, vel saltem scandalizentur, quasi per tam liberales effusiones indulgentiarum, vel vis aliqua juri divino fiat, cujus proprie est pœnas relaxare, vel etiam indulgentiæ risui exponatur et contemptui fiant, quod contra antiquum Ecclesiæ morem toties nunc iterentur. Verum et si hæc Ecclesiæ libertas nimia videri potest, non dubitandum tamen, eam Christo per placere, ac sicut Magdalenam defendit, et laudat, ita defendere Ecclesiam ejusque rectorem, pontificem quem ipse spiritu suo regit. Igitur ut nemo indigne ferre, nemo scandalizari, sed potius gratulari sibi et Deo gratias agere possit, ostendam quam recte et salubriter Ecclesia faciat, dum ea nunc indulgentias liberaliter effundit.

- I. Quia per hoc succurritur temporum nostrorum iniquitati et languori; nunc enim senescenti

terno, l. II. contra gentes, S. Maximo, hom. V. de nativitate SS. Petri et Pauli, et Hegesippo, l. III. de excid. Hierosol. c. II. Manes, qui se Manichæum quasi effusorem manne nuncupavit, a rege Persarum æcoriatus est, quod ejus filium quem curaturum se promiserat occidisset, teste Epiphan. næresi LXVI. Montanus cum suis prophetissis laqueo se præfocavit, ait Eusebius, lib. V. c. XVI. Donatistæ eucharistiam canibus proicientes ab eis discerpti sunt, ait Optatus, lib. II. contra Parmen. Arius vadens ad Ecclesiam, eam occupaturus, dolore alvi corruptus in latrinis intestina cum anima effudit, teste Ruffino, lib. X. hist. cap. XIII. Julianus apostata pugnans contra Persas, cœlesti telo ictus interiit, ait S. Gregor. Nazianz. orat. 1. in Julianum; Priscillianus a Maximo tyranno capite plexus est; Leo Armenus iconoclasta in ipsa ecclesia necatus est; Heraclius imperator factus Monothelita subitam fœdamque mortem obiit; cum non nisi in vultum proprium mingere posset, ait Zonaras, in annali Theodorici regis Gotthorum; Ariani horribilem necem et damnationem narrat S. Greg. IV. dial. c. XXX. Valens Arianus a Gotthis victus fugiens in casam, in ea ab iisdem concrematus est, ait S. Hier. in chron. Nestorii linguam blasphemam exederunt vermes, ait Evagrius, l. 1. hist. cap. VII. Hunericus Arianus persecutor fidelium a vermibus consumptus est, ait Victor, lib. III. Wandal. Anastasius imp. Eutychianus fulmine ictus occubuit, ait Zonaras, et Panus diaconus, in ejus vita; Lutherus post lautam cœnam nocte suffocatus interiit, teste Cochæo, in vita Lutheri; Zwinglius in bello Helvetico promittens se omnia catholicorum tela excepturum, ab iisdem interemptus est, Andr. Carol. Stadius a dæmone abreptus non comparuit; Calvinus instar Herodis a vermibus consumptus blasphemans, et dejerans, infelicem animam exhalavit, teste Bolseco, in ejus vita.

Porro hæc testimonia omnia perhibet de Christo ejusque fide Spiritus sanctus, quia horum ipse auctor et director est. Ipse illuminavit patres et præfuit Conciliis, ipse accendit et roboravit martyres, ipse expugnavit hæreses et tyrannos solidando petram Ecclesiæ, ipse mutavit hominum animos et inspiravit eis contemptum sæculi, ipse miracula patravit, prophetias impleri fecit, per os infidelium testimonium tulit, sectas exterminavit et afflixit.

Concludamus ergo cum Psal. XCII. dicente: *Mirabilis in altis Dominus, testimonia tua credibilia, facta sunt nimis.*

sæculo peccata mirum in modum aucta sunt, et tot sunt in Ecclesiæ membris vulnera, ut ad interitum tendere videatur. Sic in lege veteri initio tres tantum civitates refugii eis Jordanem voluit esse Deus, Num. XXXV. et Deut. XIX. postea vero sub Josue tres alias trans Jordanem, Jos. XX. adeoque sex. Ob similem causam unxit Magdalena Christum in domo Simeonis copioso et pretioso unguento, quia id, Domino teste, ad sepeliendum eum fecit, tamquam passioni et morti vicinum. Unxerat etiam olim Magdalena Christum recubentem in domo Pharisæi, Luc. VII. sed non tam copiose; hic enim dicitur fracto alabastro effudisse unguentum super Christum, ita ut aliqui ob tantam profusionem indignarentur, quod ibi factum non est. Nempe Christus causam attigit cum hic dixit: *Sinite illam ut in diem sepulture mee servet illud.* Hoc igitur mysterio informare voluisse videtur Ecclesiam suam, ut senescenti et frigescendi mundo liberalius indulgeret, et frequentius mederetur. Et sane in prima Ecclesia pene omnes Christiani robusti et sancti erant; peccata omnia supra modum horrebant, et admissa gravissimis poenitentis eluebant, septem annos poenitentiae pro uno peccato lethali imponebant; unde indulgentiis, quæ infirmorum tantum remedium sunt, nunquam vel parcissime utebantur. Nunc vero quia peccata magnopere aucta sunt, et augentur adhuc in dies, ita ut jam vix horreantur, sed levia putentur et per risum, ut ait Sapiens, Prov. X. perpetrentur: inde fit, ut etiam poenitentiae leves tantum et injungantur et agantur; ideo morbo et propemodum exsangui Christi corpori, Ecclesiæ, copiosius nunc adhibetur unguentum indulgentiarum et frequentius; non adhibendum si adhuc in pristino vigore esset. Non dubitamus fore majoris laudis et meriti apud Deum, si ad instar primorum Christianorum ex nostro ipsorum peculio, et non e communi Ecclesiæ ærario peccata nostra solveremus, sed quoniam ad extremum pene spiritualis inopiæ devenimus, Ecclesia mater nostra, de suo nos juvare debet thesauro.

Quando cives abundant divitiis, non est necesse ut aperiatur commune ærarium eisque succurratur; nec commune horreum, cum affluunt frumento, sed inopiæ et famis tempore utrumque aperitur. Magna nunc famis meritum, magna inopia spiritualium pecuniarum poenali præsertim operum, quibus debita nostra exolvamus. Cilicia, saccos, flagella, cineres, humicubationes, panem arctum et aquam brevem, vigiliis, etc. jam vix ex nomine agnoscimus, et ut monstra horremus, peccata vero minime horremus, sed familiarissime tractamus:

quid superesset igitur, nisi ut vel interiremus, vel ingentia debita contraheremus, nisi ex Ecclesia thesauro et communi ærario juvaremur? Quando tandem debita nostra solveremus, si pro singulis mortalibus septennium poenitere juxta rigorem veterum canonum deberemus? Docuit hanc discretionem Christus Ecclesiam suam, in parabola illa de ove perditâ inventâ, Luc. XV. quam dimissis nonaginta novem in deserto, quæsitus ivit, et inventam (errantem utique ac cursu lassatam) non verberavit, nec ad regressum impulit, sed in humeros suos accepit et portavit. Quo loco non de communi nostra redemptione, sed de peculiari peccatorum conversione loquitur. Itaque reliquit Dominus nonaginta novem oves, id est, primos Christianos, quia perditâ non erant, suismet sustentari pedibus, et de proprio satisfacere: oves vero perditas et errando fatigatas, quales sumus nos, in humeros suos tollit, quando toties aperit indulgentiarum suarum thesaurum et de meritis suis debita nostra solvit. Qui parabola mox subjicit alteram similem, de filio prodigo recepto, cui pater vitulum saginatum occidit et convivium instruxit, etc. quod alteri fratri apud se manenti nunquam fecit. His etiam parabolis instruere Dominus Ecclesiam ejusque pastores summus voluit, (ni fallor) uti pro exigentia rei oves perditas vel alienis humeris mentorum Christi etss. ad caulam Christi reducant; in cuius rei indicium s. pontifex et archiepiscopi pallium gestant (ut docet Isidorus Pelusiota, apud Baron. II. annal. pag. CCCVIII). de lana oviculæ confectum et humeris pontificis incumbens instar oviculæ.

II. Quia per hoc communibus Ecclesiæ necessitatibus salubriter subvenitur, quæ nunc magnæ sunt et frequentes. Magdalena olim Luca VII. unxerat tantum pedes Jesu: nunc autem morti et passioni vicinum ungit in capite et pedibus. Pari ergo ratione, ubi non est urgens causa vel Ecclesiæ calamitas, raræ et leviores dantur indulgentiæ et particulares tantum, ubi vero communis totius Ecclesiæ, vel saltem late patens urget necessitas, generales et plenariæ indulgentiæ recte conceduntur. Per hujus enim unguenti indulgentiarum effusionem excitantur et exhilarantur Ecclesiæ membra, ut Deum per poenitentiam imprimis, deinde per orationes et bona opera placent, quo imminentes Ecclesiæ calamitates elementer avertere dignetur. Unde bene de Magdalena Dominus dixit ibi: *Quod habuit hæc fecit, prævenit ungere corpus meum.* Marci XIV. Ad eundem modum Ecclesia metuens imminentem calamitatem facit, quod potest et quod habet, prævenit ungere membra Christi unctioe misericordiæ, ne præveniatur. Ita fecit

super quando pro rebellum Bohemorum repressione et catholicorum liberatione jubilæum concessit, felici fine; paulo post quando divina providentia novum Ecclesiæ pastorem nacti sumus, cujus gubernatio non ipsius tantum, sed omnium nostrum interest, quique muneris sui difficultate in bulla sua cum Davide exclamat, Ps. LXXXVII. *Exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus. In me transierunt iræ tuæ et terrores tui conturbaverunt me, circumdederunt me sicut aqua, tota die circumdederunt me simul.* Quare ut munus omnium, quæ in mundo sunt, difficultum cum omnium fructu rite obire posset, communia nostra imploraturus vota et suffragia erga Deum, suum vicissim vel potius Ecclesiæ ærarium aperire voluit. Accommodare se voluisse videtur mihi summus noster in terra pontifex pontifici nostro cœlesti, qui ut apostolus ad Eph. IV. ait: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Misit enim nobis Spiritum s. cum innumeris illius donis. Ascendens igitur et ille ad summum in terra thronum dedit nobis indulgentiarum dona. Et si reges et imperatores in sua coronatione ad regnorum suorum amplitudinem et divitiis ostendendas aurum et argentum, pannos, taurum assatum, avenamque populo distribuunt: cur non etiam ad ostendendas spirituales Ecclesiæ divitiis suo modo id faciat pontifex? Infinitus et inexhaustus est hic thesaurus cœlestium bonorum, quem si absconderet pontifex, audire a Christo posset, quod servus ille piger, qui pecuniam domini sui abscondit, cum qua plurimum lucrari potuisset, si eam erogasset ad usuram, quam dominus postea veniens cum fœnore recepisset.

III. Quia per hoc sæpe magni et inveterati peccatores, quorum multos scit esse Ecclesia hoc tempore, evigilant et poenitentiam amplectuntur. Ut enim Magdalena prævenit ungere corpus Christi in sepulturam, quo servaretur a fetore et putredine (quod tamen de illo timendum non erat): ita etiam Ecclesia suis tam frequentibus indulgentiis cum unctionibus prævenire vult peccatores graves et inveteratos, ne velut jumenta in stercore suo omnino computrescant fœteantque, sed excitentur ad poenitentiam. Quis enim quæso tam surdus et sibi nequam est, qui cum se innumeris peccatis obstrictum videat, andiatque nunc tam facilem esse se expediendi viam, a tam a poenis, quam a culpis, qui occasionem hanc non arripit? Ad tantum bene operandum tumultum non evigilet? Cæcus ille Luc. XVIII. eum audiret prætereuntem turbam secus viam sedens, interrogabat quid hoc esset? Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazareus transiret: cla-

mavit ergo statim: *Jesu fili David, miserere mei,* et licet increparetur a præeuntibus, ipse tamen multo magis clamabat; ideoque mox visum a Christo recepit: *Et sequebatur eum magnificans Deum.* Audiant nunc peccatores, qui fortasse hactenus peccata sua occultarunt in confessione, sive quod de potestate absolventis, sive quod de venia et remissione dubitabant, audiant inquam turbam innumeram cum Christo in via salutis ambulantem et indulgentias lucrantem, ne sedeant amplius secus vitæ viam, sed vigilent et interrogent quid hoc sit. Respondebitur enim illis, quia Jesus transit, qui nunc salutem plenariam omnibus offert; ideoque incipiant et ipsi clamare et salutem quærere: nemo jam te impedit: nemo tacere, sed omnes potius clamare jubent et poenitere. Audivit Jacob patriarcha, dum magna fame premeretur terra, quod frumenta venderentur in Ægypto; unde dixit filiis suis: *Quare negligitis? Audivi, quod triticum vendetur in Ægypto, descendite et emite nobis necessaria, ut possimus vivere et non consumamur inopia.* Gen. XXIV. Descenderunt filii, et a fratre suo Joseph frumenta gratis obtinuerunt. Evigilate, o peccatores: vendatur nunc, imo donatur frumentum indulgentiarum, nec est ut abeat in Ægyptum, venite ad Ecclesiam: *Venite, emite absque argento,* ut possitis vivere in futurum, et non affligamini aliquando fame aliisve poenis hujus vel alterius sæculi. Non auditis, non videtis turbam eo abeuntem, et ibi necessaria coementem? Quare negligitis vos et inopia premi vultis? Quid dixisse putamus illos, qui occasionem illam coemendi frumenta neglexerunt, quando quintus, sextus, septimus annus annonæ et sterilitatis aderat, et jam frumenta emenda non inveniebantur? O nos stultos et ignavos homines, arbitror dixisse, qui tam bonam negleximus occasionem! Vereor ne ita multi clament in purgatorio; quia indulgentias lucrari non studuerunt. Tempore illius famis plurimi haud dubie sperarunt de anno in annum frugum ubertatem; sed interim semper decepti et spe sua delusi sunt, donec plurimi eorum fame perirent. Ita peccatores semper proponunt, post annum me emendabo, etc. et interim nihil fit. Præveni ergo ungere animam unguento poenitentiae, ne sero sapias.

IV. Quia per hoc ad bonorum operum studium incitatur, qui jam fere ad bene operandum non nisi adaucta mercede provocamur. Quando Magdalena effudit unguentum super Christum, domus impleta est ex odore unguenti; ita cum effundit Ecclesia super nos unguentum indulgentiarum, impletur tota Ecclesia odore bonorum operum, quibus nemo non contendit lucrari jubilæum: ibi processiones et peregrinationes,

jejunia, eleemosynæ, confessiones, communiones infinitæ propemodum. Neque mirum, quis enim non expenderet pecuniam, si sciret per istos quatuordecim dies unum nummum valiturum florenum? Vel si in certis nundinis pro obolo tantum emere posset, quantum alias pro floreno? Quis operarius sciens se eandem lucratum mercedem si una tantum hora laboret, quantam alii lucratur, qui toto die, talem occasionem negligeret? Neque in hoc imprudenter aut temere facit Ecclesia, siquidem et paterfamilias ille tantumdem dedit illis, qui una et postrema hora laborarunt, quantum iis, qui toto die, et quidem non ex merito, sed ex indulgentia. Idcirco enim ait uni murmurantium: *Annon licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?* Matth. XX. Itaque nos sumus postremi illi servi, qui (hoc jubilæi tempore) laborando per unam horam tantum lucri facere possumus, quantum alii per totum diem. Murmurent hic quantum velint hæretici. Annon licet Christo facere quod vult? Liberalem esse in quos et quando vult? Voluit haud dubie etiam hac parabola instruere Ecclesiam quod pro rei exigentia plus vel minus indulgere possit; idque eo ipso, quo Petrum et successores ejus patresfamilias Ecclesiæ suæ constituit et dispensatores bonorum suorum, concessisse eis dignoscitur.

Videant vero Christiani, qui tanta odoris fragrantia totque piorum exemplis non excitantur, nec cum possunt participes se indulgentiæ hujus facere curant: videant inquam ne ex illis sint, de quibus Dominus ait: *Nolite projicere margaritas ante porcos*: et de quibus Job, c. VI. dicitur: *Qui timent pruina, irruet super eos nix*. Pruina solam pedis plantam adurit, nix totum hominem obtegit. Quid opera satisfactoria cum indulgentiis? Resp. penæ debiti, nisi pruina resp. nivis?

V. Quia per hoc succurritur necessitatibus et inopiæ pauperum, qui dum nos spirituale ipsi etiam interim corporale jubilæum percipiunt, quando eleemosynis eos recreamus. Et hoc etiam Magdalena docuit cum unxit pedes Jesu: *Sunt enim Domini pedes, minimi fratres*, inquit Theophylactus, *per quos vadit Christus ad uniuscujusque januam quærens quæ utilia sunt, quos unge eleemosynæ unguento, etc.* Sane in veteri lege singulis trienniis voluit Deus dari decimas pauperibus, Deut. XIV. Et Judæi religiosiores etiamnum, licet nec templum, nec sacerdotes habeant, decimum tamen nummum bonorum suorum pauperibus erogant, habentque hoc proverbium: *Da decimas, ut discas*: prout etiam promittimur Malach. III. Nos ergo vincamur a Judæis? Merito sane unguuntur pauperes, quia sunt amici Christi: a quo si gratiam obtinere vis, unge

amicos ejus unguento illo de quo ait Dominus: *Facite vobis amicos de mammona iniquitalis, ut cum defeceritis, recipiant vos ad æterna tabernacula.*

CONCIO VIII.

ADHORTATIO AD MILITES PRO ECCLIA PUGNANTES.

I. Animæ causæ æquitas. — II. Hostium perversitas. — III. Præmium, — IV. Exempla aliorum. — V. Oratio quæ pro illis fit.

THEMA.

Hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini. Joann. XVI.

Ælianus, de varia hist. I. II. scribit a Theone pictore militem adeo furiosum fuisse depictum, ut cum is monstraretur populo, et simul classicum caneretur, populus ad arma curreret quasi præliaturus. Utinam et ego possem depingere ejusmodi militem, qui cæteros animaret ad hostes imperii et Ecclesiæ fortiter aggrediendos. Certe in hodierno evangelio animat Christus discipulos suos ad fortiter agendum, cum innumera mala passuri essent et vitam martyrio consummaturi. Proximi martyribus milites illi sunt, qui pro defensione Ecclesiæ catholice vitam suam in discrimen ponere et occumbere non dubitant. Quare cum tam nobile et laudabile sit horum militum studium, non possum non eosdem ad hoc prosequendum tuba evangelica animare et accendere ad pugnam.

I. Animare debet eos causæ æquitas. Pugnare primo, pro imperatoris nostri legitima potestate quam habet in suos subditos, tametsi nunc rebelles. Deinde, pro fide catholica tamdiu ab hæreticis in Germania oppressa, ac proinde pro hæreticorum, præsertim Calvinistarum (qui in Rom. imp. precario tantum recepti sunt precibus, scilicet Lutheranorum, tamquam infirmi eorum fratres, ut ipsi aiebant) exterminatione. Hoc igitur bellum nostrum et bellum Dei, quia pro gloria Dei Ecclesiæ suæ, ut merito exclamare possunt milites nostri cum militibus Gedeonis quando ceciderunt Madianitas: *Gladius Domini et Gedeonis*, Judic. VII. Sibi dictum existiment quod propheta quidam dixit regi Josaphat et populo ejus, II. Par. XX. *Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem magnam: non est enim vestra pugna, sed Dei. Non eritis vos qui dimicabitis; sed tantum confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos.* Vos estis sexaginta illi fortes, gladiis accincti, qui lectulum Salomonis, id est, Ecclesiam circumstant, ut defendant, Cant. IV.

Itaque non tantum bene sperandum est militibus nostris de prospero belli eventu (quem et hactenus experti sumus) sed etiam de salute æterna, licet occumbant. Domino enim pugnant,

et Domino morientur. Illis: *Gloriam est vincere, vincit salutare*, ut S. Bern. dixit de Christianis pro terra sancta militantibus. Si enim rectam habeant intentionem, martyribus, ut dixi, proximi fiunt, cum moriuntur in bello; tum quia ab uxore, liberis omnique voluptate se abstrahunt; tum quia ob Ecclesiæ et fidei amorem, periculo vitæ se exponunt. In hoc tamen a martyribus differunt, quod prima eorum intentio non spectat mortem, (quam quærebant martyres) sed victoriam ab hoste. Nihilominus fieri potest, ut sine omni purgatorio ad cælum evolut, ob vehementem ardorem, patientiam, zelum fidei, etc.

II. Hostium nostrorum perversitas, rebellio, perfidia, discordia. De his enim optimo jure dicere possumus, quod Josue et Caleb de habitatoribus Chanaan ad suos: *Ne timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem, ita eos possumus devorare: recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere*, Num. XIV. in Hebr. habetur: *Recessit ab eis umbra eorum*, id est, protectio: Septuaginta habent *recessit ab illis tempus*: quod scilicet datum erat impiis Chanaanæis ad regnandum. Simili modo dicere possumus recessisse a protestantibus hostibus nostris umbram eorum, id est, protectionem divinam.

Item recessisse ab illis tempus, quod datum est illis ad hæresim suam tuendam. Videntur nunc se habere instar ædificatorum turris Babel, utpote linguæ et dogmatibus inter se divisi. Taxavit aliquando Turcarum imperator christianos principes, ob religionem inter se dissidentes, cum bellum in eos pararet. Dissuadentibus enim bellum recensuit fabulam de lupis, qui audientes in se parari bellum a canibus, miserunt unum in apicem montis exploratorem, qui videns quidem canes multos, sed discolors, rediens consolatus est suos, dicens multos quidem esse canes, sed adeo coloribus distinctos, ut vix credi possit unanimes futuros in prælio contra lupos, Maiol. tom. III. canic. coll. II. Jam vero principes catholici non solum religione, sed per Dei gratiam animorum unione bene inter se conveniunt: hæretici vero canes discolors sunt, quia sectis discrepantes, proinde nec in animis concordēs diu esse possunt.

III. Gloria et præmium, quod obtinebunt, si strenue se gesserint. Nam imprimis gloriosum est coram mundo militi occumbere in prælio. Ideo Epaminondas strenuus dux aiebat: *Pulcherrima est mors in bello cum pro patria pugnetur*, teste Plut. et Livius, lib. II. dec. I. *Pulchrior est miles in prælio cæsus, quam in fuga salvus*. Spartanæ matres filios in militiam dimittentes, dicere eis solebant: *Aut cum hoc aut super hoc,*

id est, ut aut sortum suum salvi referrent, aut mortui in eo referrentur, Valer. Max. I. II. c. VIII.

Major multo est gloria, quam obtinebunt apud Deum, sicut enim levitæ, quando zelo divini honoris moti occiderunt etiam propinquos, laudem meruerunt, et audierunt a Moyses: *Consecrastis manus vestras hodie Domino*, Exod. XXXII. Ita etiam milites, qui pro gloria Dei et Ecclesiæ pugnant, et hæreticos jugulant. Apostolus, II. Tim. II. ait: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*; ergo qui legitime certaverit, coronabitur. Exemplum de Bohemo milite scribit Hieronymus Zieglerus, lib. de viris illustribus Ger. c. XCVIII. in hæc verba: « Joannes Capistranus natione Italus, professione Franciscanus Minorita, cui summa erat dicendi facultas, incredibilis memoria, vitæque sanctitas rara, legatus in Bohemiam a Calixto pontifice missus est, ut præsens inspiceret, an pacta Concilii Basiliensis a sacerdotibus servarentur. Quod cum sedulo faceret in Hungariam tandem venit, circa annum Domini 1455. Quo tempore Mahometes Turcarum imperator cum infesto intentoque exercitu Hungariam ingressus est. Ladislaus rex juvenis admodum raptim ex suis regnis milites conscribens, Huniadem supremum capitaneum præfecit. Capistranus cum numero militum cruce signatorum Huniadi se jungit; Belgradum deinde ambo præsidio firmant, ibique se muniunt. Mahometes tantulum oppidulum se expugnare et capere non posse videns, dentibus frendens admoventi ænea tormenta mœnibus, muros turresque sterni diruique jubet. Deinde omni vi, et tota suorum mole obsessos aggredi impellit. Ingens vis oppugnationis Christianos urgebat; nam oppugnatio illa per integrum diem atque noctem continuabatur. Sed illam Christiani cum Huniade et capistrano ducibus suis fortiter sustinuerunt. Erat inter reliquos miles quidam Bohemus, cui debitus gloriæ titulus merito suo reddendus est. Hic cum videret Turcam cum signo vexilloque Turcico murum jam conscendisse, accurrit, complexusque Turcam, rogat Capistranum inferius stantem: Si (inquit) sponte mea, cum cane isto me de muro præcipitavero, illi commoriturus, quid de anima mea censes futurum? Et illo respondente: *Salvam sine dubio fore, deiecit se protinus, et una secum Turcam illum signiferum, morteque hostis et sua vitam sociis incolumem reliquit.* Nam Mahometes de urbe capienda desperans obsidionem solvit, castris ignem subjecit, atque fugit. » Cum Themistocles adversus barbaros duceret exercitum, gallos gallinaceos pugnantem spectavit, et ad suos conversus dixit: *Hi nec pro patria, nec pro diu familiaribus, nec pro gloria aut libertate pugnant;*